



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. II. Quo ordine restitui debeat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

III. Bonæ fidei possessor satisfacit, si restituat in loco, ubi rem possidet.

IV. Debita ex contractu, eo loco & tempore solvi debent, de quo inter partes conventum fuit expressè, vel tacitè, *v. Less. & Bon. l. c.*

V. Si quis possit quamprimum restituere totū, ad id tenetur. Si tamen alter dilatione non peteretur ulterius damnum, aut non notabile, non facile arguendus esset gravis peccari is, qui cum proposito satisfaciendi differret, aut paulatim per partes solveret. *v. Bon. de contr. d. 1. q. 6. p. 1.*

VI. Qui scit se teneri ad restitutionem, & cum possit in vita, non vult restituere, nisi in articulo mortis, vel post mortem per hæredes, absolvi non debet; nec potest: quia semper est in actuali peccato, & impœnitens. *Sal. Sayr. Bon. Trul. c. 14. d. 11.*

ARTICULUS. II.

Quo ordine restitui debeat?

Resp. Certum est, non necessario ordinem servari, quando debitor omnibus solvere potest: quando verò tantum non habet, aut hæredibus reliquit, sequentes Regulæ servandæ.

I. Si debitor rem alterius apud se habet, quocumq; titulo habeat, sive ex furto, sive ex deposito, sive inventione, &c. debet prius restitui domino suo, vel eo deficiente, pauperibus. Similiter si res empta ad creditum, pretio non soluto; adhuc extet *Nav. Sylv. Bon. q. 8. p. 2.* Hoc tamen *Less. c. 15. d. 2. contra Bon. &c.* limitat, nisi venditor ab emptore fideiussorem, vel pignus accepit.

II. Si

II. Si restitutio facienda ratione injustæ actionis, prius restitui debent certa, h. e. quorum domini cognoscuntur, quàm incerta, *Bon. Less. d. 1.* quia illa jure naturæ debentur suis dominis, hæc autem jure solo positivo pauperibus.

III. Prius faciendâ est restitutio debitorum licite contractorum, quàm usurarum; cum in his dominus non fuerit simpliciter invitus.

IV. Debita ex titulo oneroso prius solvenda sunt, quam quæ debentur gratuito, v. g. ex promissione, quia hæc includunt tacitam conditionem, nisi quid obstet. Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata, etiam pia, *Nav. Sylv. Bon. q. 8. p. 2.*

V. In reliquis debitis servandum est jus particulare loci, si tale sit, & non repugnet juri naturæ. Si nullum sit, sequendum est jus commune, secundum quod 1. Solvenda sunt debita, ad quæ bona debitorum expressè fuerunt obligata. 2. Dos uxoris extrahenda est. 3. Debita, ad quæ bona debitorum sunt tacite hypothecata. 4. Deposita perdita in potestate debitorum. 5. Debita privilegiorum. 6. Aliorum creditorum: post quos omnes sunt hi, à quibus usuræ acceptæ sunt, & adhuc post hos restituenda sunt bona incerta. Quando autem multi unius rationis creditores inveniuntur, temporis antiquitas inter eos servanda est, v. *Laym. l. 3. tr. 2. c. 11.* Ubi addit, ex bonis debitoris, si is defunctus sit, imprimis solvendas esse impensas funeris, & quæ ad confectionem inventarii, apertionem testamenti, item Medicos & Pharmacopolas pertinent, v. *Fill. c. 4. q. 13.*

Quæres. Utrum prius exigenti non liceat prius solvere?

Resp. I. Solvens scienter posteriori, præterito qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatâ, peccat, teneturq; priori de damno, qui etiam potest recuperare solutum, *Less. d. 5. ex l. Scimus §. Et si præterea c. de jure delib.*

II. Si ex pluribus creditoribus personalibus æqualib. aliquis exigat (sive in judicio, sive extra) tenetur ei integrum solvere: quia diligentia fecit eum potiozem, *Nav. Sylv. Bon. l. c. ex L. Pupillus ff. que in fraudem.*

III. Debitor sciens statum suum labentem non potest non petenti integrè satisfacere, sed debet omnibus personalibus solvere pro rata (si tamen iste solutionem accepisset, an posset retinere controvertitur, *v. Bon. Less. l. c. Trul. l. 7. c. 14. d. 12.*) nec potest uni solvere, omissis aliis, nisi secundum ordinem supradictum.

ARTICULUS III.

Quæ à restitutione excusent?

Resp. Ex parte debitoris excusant ea, quæ faciunt, ut creditor rationabiliter debeat esse contentus, et si de facto non sit contentus. Ira commun. *Doct. vnde resolvuntur. Casus sequentes.*

I. Excusaris in foro conscientiæ (juxta sententiam probabilem) à compensatione damni, si illud datum sit sine tua culpa Theologica gravi, hoc est mortali peccato; nisi aliud cum altero pactus sis, vel inde sis factus ditior. Unde excusaris, si v. g. ali-